

hoc intellige de dote Ecclesiæ, de qua Clerici non debent dare decimas, sed de prædiis propriis, sive patrimonialibus Clerici debent solvere decimas. » (38. Secunda pars, scilicet, quod a Clericis sint solvendæ decimæ ex prædiis, agris, et aliis fundis, ex quibus, antequam in dotem Beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant, colligitur clare ex cap. *Eccl.* 43. caus. 16. q. 1. ubi indistincte præcipitur, « ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec ulla possessione priventur: ita ut novis Oratoriis tribuantur; » et c. *Quicumque* 44 ead. caus. et q. ibi: « Omnino providendum est Episcopo, ut Ecclesiæ antiquiores propter novas suam justitiam, aut decimam non perdant, sed semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur: » et cap. *Nuper* 34. de decimis, ubi etiam Religiosi jubentur dare decimas de prædiis et fundis noviter acquisitis, si de iisdem prius decimæ solvi solebant. Et sic tenent Fagn. in d. c. *Nuper* num. 10. Abbas ibid. num. 1. Card. de Luca de decimis disc. 2. num. 3 et 6. meus Reiffenstuel l. c. num. 50. et alii cum Barb. in d. c. *Ecclesiæ* 43. caus. 16. q. 1.

(39. Clerici Curati quacumque dignitate præditi, ut Episcopi, Abbates, Archipresbyteri, ac omnes alii Parochi quocumque nomine nuncupati, tenentur solvere decimas prædiales de fructibus honorum titulo temporalis, seu sæculari acquiritorum; S. Th. 2. 2. q. 87. Barb. de offic. et potest. Parochi cap. 28. § 3. num. 10. Pirhing l. c. num. 40. Reiffenstuel l. c. n. 46. et communis aliorum. Et ratio est, quia res transit cum suo onere ad quemvis possessorem; cap. *Cum non* 33. de decimis, ibi: « Quoniam res cum onere suo transit, » et cap. *Ex litteris* 5. de pignoribus, ibi: « Cum etiam bona... cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem; » et consequenter si Clerici, etiam Curati, sive Episcopi, sive Parochi, quocumque nomine nuncupati, jure temporali acquirunt prædia, aliaque bona oneri Decimarum prius subjecta, onus hoc cum prædiis ad ipsos quoque transit; can. *Si quis Laicus, vel Clericus* 42. cap. *Ecclesiæ* 43. c. *Quicumque* 44. caus. 16. qu. 1. (40. Tales Clerici Curati tenentur solvere Decimas prædiales ex prædiis, fundis et agris etiam Ecclesiasticis, seu Ecclesiæ dotalibus in alterius Parochia sitis, si de illis, antequam in dotem Parochiæ pervenirent, decimæ alteri Parocho solvi solebant, ut colligitur ex cit. c. *Ecclesiæ* 43. et cap. *Quicumque* 44. caus. 16. qu. 1. et cit. cap. *Nuper* 34. de decimis. Vid. sup. num. 37. et est communis cum Glossa in c. 1. de censib. Abbat. in c. 2. de decimis num. 6. Pirhing. loc. cit. num. 43. Reiffenstuel l. c. n. 52. (41. Non tenentur tamen tales Parochi solvere Decimas prædiales de bonis mere Ecclesiasticis in propria Parochia acquisitis. Est communissima inter DD. arg. cit. cap. *Novum genus* 2. de decimis, et cap. *Sancitum est* 2. de censibus. (42. Neque tenentur tales Parochi solvere Decimas personales; Sic Pirhing. l. c. num. 40. Layman l. 5. tract. 6. cap. 3. num. 1. et alii. Et ratio est, quia neque ex

jure Canonico, neque ex consuetudine talis obligatio ostendi potest; Decimæ enim personales non debentur nisi proprio Parocho, a quo quis recipit Sacramenta, et alia spiritualia; cap. *Quæsti sunt* 46. caus. 16. qu. 1. cap. *Ad Apostolicæ* 20. de decimis, sed tales Parochi nullum agnoscunt proprium Parochum, cum Episcopus in sua Diocesi sit Ordinarius Parochus Parochorum, et quilibet Parochus sit Ordinarius Pastor in sua Parochia, et præter se nullus alius detur in ipsa Ordinarius Parochus; ergo, etc. (43. Licet autem ex parte Episcopi videatur adesse sufficiens fundamentum, ut Parochi ipsi persolvant Decimas, ex quo ipse sit Ordinarius Pastor, et Parochus omnium Parochorum suæ Diocesis, Jus tamen non imposuit eis talem obligationem solvendi Decimas personales Episcopo; adeoque Episcopus non potest ipsas ab eis exigere, cum nequeat neque ab ipsis, neque ab aliis Sacerdotibus, et Clericis aliquid exigere præter id quod jure communi concessum est, ut constat ex cap. *Constitutum est* 60. c. *Nulli* 62. cap. *Prædicator* 64. caus. 16. quæst. 1.

(44. Regulares de jure communi tenentur solvere Decimas prædiales, nisi speciali privilegio, aut legitima consuetudine sint exempti. Est communis cum Suarez t. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 17. n. 25. Layman loc. cit. n. 4. Pirhing. loc. cit. n. 44. Reiffenstuel loc. cit. n. 53. et habetur clare in c. *Ex multiplici* 3. cap. *Commisum* 4. cap. *Dilecti* 8. cap. *Ex part.* 10. de decimis, et expressius in cap. *Statuto* 2. § *Cæterum* eod. tit. in 6. ubi sic statuitur: « Cæterum Religiosi tam exempti, quam non exempti de terris et possessionibus acquisitis hactenus, et amodo acquirendis decimas integre solvant illis Ecclesiis, quibus eadem possessiones, et terræ prius fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure, vel privilegio sint moniti. » (45. Insuper spectato jure communi antiquo, et præscindendo a privilegiis, tenentur Regulares solvere etiam Decimas personales; Suarez l. c. num. 25. Laym. l. c. n. 4. Pirhing. l. c. n. 44. Reiffenstuel l. c. num. 53. et alii communiter. Et ratio est, quia Regulares, spectato jure communi antiquo, et abstrahendo a privilegiis, sunt etiam ipsi, sicuti cæteri alii, subjecti Pastori, seu Parocho loci, ab eoque Sacramenta, ac alia spiritualia percipere debent et de facto olim percipiebant, uti patet ex c. alia 6. *Eccl.* 7. c. *Interdecimus* 10. c. *Quæsti sunt* 46. c. 16. q. 1. adeoque præscindendo a privilegiis tenentur de jure communi ipsi persolvere Decimas personales, cum tales Decimæ de jure debeantur Parocho, a quo accipiuntur Sacramenta, et alia spiritualia cit. cap. *Quæsti sunt* 40. caus. 16. qu. cit. cap. *Ad Apostol.* 20. de decimis. et c. *Significavit* 5. de Parochiis.

(46. Hodie tamen Regulares omnes, aliquo saltem modo, a solvendis Decimis sunt exempti per privilegia partim Juri communi inserta, partim specialiter concessa. Primo, per privilegia Juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solis Decimis

personalibus; cap. *Ex part.* 10; cap. *Licet* 11. et cap. *Ad Audientiam* 12. de decimis. (47. Secundo, per talia privilegia juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solvendis Decimis de Novalibus, quæ vel propriis manibus, vel propriis sumptibus colunt, textu expresso in cit. cap. *Ex part.* 10. de decimis, ibi: « De Novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt; » et in cap. *Consultationi* 33. de privil. ibi: « Terra, de qua non exstat memoria quod aliquando culta fuisset, redacta per Religiosos viros ad culturam perpetuo debet, quoad immunitatem de non solvendis decimis, Novalium jure censi. » (48. Per Novale autem, ut vides, intelligitur ager de novo ad culturam redactus, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuisset, ut definitur in c. *Quid per Novale* 21. de verb. significat. ibi: « Ut Novale intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuisset. » (49. Tertio, per talia privilegia juri communi inserta Regulares omnes sunt exempti a solutione Decimarum de nutrimentis, seu pascuis animalium, et de hortis suis; textu expresso in cit. cap. *Ex parte* 10 de decimis, ibi: « Et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis. » (50. Quarto, per talia privilegia juri communi inserta, Cistercienses aliique Regulares similibus privilegiis gaudentes, exempti sunt a solutione Decimarum etiam de prædiis, et terris non novalibus, illis scilicet, de quibus, antequam ad eos pervenirent, Decimæ non solvebantur; cap. *Ex part.* 10. et *Ad Audientiam* 12. cap. *Nuper* 30 de decimis. (51. Immo cum hoc caput *Nuper* nihil novi juris induxerit quoad possessiones ante generale Conc. de anno 1215. acquisitas, stat etiam quod de jure communi tales Regulares de illis decimas solvere non teneantur, etiamsi antequam ad eos pervenirent, decimæ fuerint solutæ, remanente in suo robore, quoad possessiones acquisitas ante dictum Conc. antiquo privilegio in cit. cap. *Ex parte* 10, et cap. *Ad audientiam* 12. de decimis, ibi: « Decernimus, ut de alienis terris, et amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, decimas persolvant, » ubi illa dictio *Amodo* idem importat, quod ab hac die in antea, ut inquit Hostiens. n. 1, in verb. *Et Amodo*; et Joann. Andreas n. 2, eod. verb.

(52. Per privilegia specialiter concessa omnes fere Regulares hodie sunt exempti a solvendis decimis nedum personalibus, sed etiam prædialibus de prædiis, et fundis cunctis sive ante sive post dictum Concilium generale de anno 1215 acquisitis, quæ propriis manibus, vel saltem propriis sumptibus excolunt. Ita testatur Barbosa de offic. et potest. Parochi par. 3, c. 20. § 3, num. 20 et in lib. 3. decretal. tit. 30, cap. 10, num. 5, et alii passim in compendiis, et compilationibus privilegiorum Regularium, ubi in specie videnda relinquimus, eum nimis operosum esset hic omnia talia

privilegia speciatim adducere. (53. Observandum tamen hic primo venit circa talia privilegia specialia Regularium, quod ipsa non valent, nisi habeant Clausulam dicti Concilii Generalis in c. *Nuper* 34 de decimis derogatoriam. Sic pluries censuit Rota, et signanter in Oriolen. Decimar. 21 Martii 1586, et 9 Junii ejusdem anni coram Orano, et coram Cavalier. inter ejus impressas dec. 229, num. 3, in qua fuit dictum, exemptionem a decimis non suffragari, nisi in specie derogetur dict. cap. *Nuper*, et in Viterbien. Decimarum 25 Junii 1618. coram Cardinali Pamphilio postea Papa Innocent X, et par. 1, recent. dec. 431, num. 2, par. 7 dec. 42, n. 9, et par. 19 dec. 201. n. 3. Et sic tenent Barbosa loc. cit. num. 37. Fagnan. loc. cit. num. 28 et 29. Pirhing. loc. cit. num. 59. Reiffenstuel l. c. n. 64. Petra tom. 4. comment. ad Const. 8 Martini V. n. 14. et alii. Et ratio desumitur ex defectu intentionis in Pontifice concedente, quia Pontifex Constitutioni Concilii generalis numquam censetur derogare, nisi clausulam Concilii expresse derogatoriam adjiciat, ut sæpe decedit Rota apud Barbos. et Fagn. l. c. et tenet communis Doctorum arg. c. *Ex parte* 3, de *Capellis Monachor.* (54. Sufficit autem, si in privilegio exemptionis a decimis prædialibus fiat derogatio alicujus alterius Concilii Generalis, cum addito, et *aliorum Conciliorum*, vel si dicatur: *non obstante aliqua Constitutione etiam in generali Concilio edita*; tunc enim censebitur derogatum etiam dicto decreto Concilii Lateranensis, ut in terminis resolvit Rota in causa Conchen. exemptionis decimarum 17 Martii 1589, coram Orano; et aliis sæpissime, ut dicitur in dec. 316. num. 11. par. 5. recent. et tenet Fagnan. l. c. num. 31. Pirhing l. c. num. 59. Reiffenstuel l. c. n. 67. Decius cons. 341. n. 10. Garcias de Benef. p. 4. cap. 5. num. 40. et alii passim. (55. Observandum est secundo, quod in generali communicatione privilegiorum quamvis ampla, non communicatur privilegium, exemptionis e solvendis decimis, quia communicationes, seu adæquationes privilegiorum quamvis amplæ, et prægnantes non extenduntur ad ea quæ non solent concedi, vel saltem magna cum difficultate conceduntur, et in quibus agitur de præjudicio tertii, ut est exemptio decimarum, sicuti notant Doctores in l. 1. ff. de legat. 1. ubi Jason num. 21. Alciat. num. 4. Socin. Jun. cons. 43. Anton. de Butr. cons. 19. quod teste Fagn. loc. cit. num. 33. sæpius secuta est Sacra Congr. et Rota, et signanter in Valentina Decimarum 28. Novemb. 1604. coram Lancelloto, in qua hic articulus fuit late discussus; in Tolentina Decimarum 6. Novembris 1605, coram Justo; in Mediolanensi Decimarum 10. Aprilis 1606. coram Coccino; et in Derton. Decimar. 3. Martii 1608. coram Lugdunen. ut habetur part. 2. rec. dec. 214. n. 5.

(56. Observandum est tertio, quod bona, et prædia, quæ solutioni Decimarum sunt obnoxia, remanent eidem oneri subjecta, etiamsi ad Regulares exemptos transeant,

adec ut Regulares teneantur illas solvere, quemadmodum solvebant Laici priusquam ad ipsos transiissent, nisi a Sede Apost. speciale privilegium eos specificè quoad tales Decimas eximens obtineant, prout firmavit Rota in Caral. Decimæ fœni. 14. Junii 1659. coram Taya, et par. 12. redent. dec. 223. num. 7. ad 21. et pag. 17. dec. 232. num. 4. et pluries respondit Sac. Congre. Concil. apud Pignatell. tom. 1. cons. 355. et tom. 8. consul. 8. num. 9. et seq. et Barbosa de offic. et potest. Parochi part. 3. cap. 28. § 3. num. 44. et in Firmana Decimarum die 14. Novembris 1630. ibi: « Fratres Ordinis S. Augustini teneri ad solutionem Decimarum pro prædiis acquisitis, quæ dum a Laicis possidebantur, solutioni erant obnoxia; » et in una Polonien. seu Cracovien. Decimarum 17. Junii 1645. ibi: « Sacra Congregatio Concil. iterum atque iterum auditis Regularibus, et præcipue Patribus Soc. Jesu, eorumque Juribus ac privilegiis mature discussis, censuit ab iisdem Patribus et aliis Regularibus, solvendas esse Parochis et aliis Beneficiatis Decimas, quæ solvebantur a Laicis priusquam bona in ipsorum Patrum Soc. Jesu, et aliorum Regularium proprietatem fuerint translata, firmiter tamen remanentibus transactionibus desuper factis. » Quod etiam renovavit in una Ripana die 16. Maji 1647. additque etiam non obstante Constit. Gregorii XIII. quæ fuit redacta ad vim juris, et in una Camerinen. 15. Novembr. 1659. ibi: Sac. Congre. Conc. « censuit bona et prædia, quæ dum a Laicis possidebantur, Decimarum solutioni erant obnoxia, ad Regularium Monasteria cum suo onere transire, ac propterea Regulares teneri illas solvere Parochialium Ecclesiarum Rectoribus; quemadmodum tenebantur Laici, priusquam bona ipsa in Monasterii proprietatem translatis; dictisque Regularibus non suffragari allegata privilegia, sed requiri speciale privilegium posterius Sac. Concil. Trid. cum individua derogatione, » cap. *Nuper*, et in Nucerna Paganorum Decimarum die 24. Junii 1677, ubi ad dubium: « An Ecclesiæ sæculares, Monasteria Monialium S. Claræ, et S. Dominici, et Conventus, seu Monasteria Regularium nempe Carmelitarum, Minimorum, Scholarum piarum, Montis Virginis, Minorum Conventualium, S. Basilii, S. Benedicti, et Augustini teneantur solvere Decimas prædiales ex bonis, ex quibus Decimæ solvebantur a Laicis, antequam in prædictos transirent? » responsum fuit: *Affirm. quoad omnes, et si habent privilegium, deducant in Sac. Congr.*

(57. Et quidem quoad Patres Conventuales in Ferentina Decimarum die 16, Januarii 1694, ead. Sac. Congre. Concil. censuit eos, non obstante exceptionis privilegio, teneri Parochis solvere Decimas ex bonis titulo sive oneroso, sive lucrativo quæsitis. Et quoad Patres Prædicatores Rota Carpentoracten. Decimarum, consideratis omnibus eorum privilegiis, censuit eos non exemptos a Decimis, nisi pro bonis quæsitis ante Concilium Generale, nec suffragari privilegia postea obtenta;

utpote quæ non comprehendunt Decimas spirituales, vel non continent necessariam derogationem diet. cap. *Nuper de Decimis*, ut late firmatur in decis. 271, par. 18, recent. et dec. 201, par 19, tom. 1. et consonat resolutio ejusdem Sacræ Congr. in Ferentina Decimarum die 15, Januarii 1695, ubi resolutum fuit Parocho Oppidi Petræ Acutæ deberi Decimas prædiales honorum, quæ possidet Conventus Patrum Prædicatorum intra Parochiæ limites. (58. Immo etiamsi bona essent data pro erectione Monasterii, Collegii, seu pro dote Beneficii, quæ sunt immunita a quibuscumque collectis, et oneribus quamvis Cameralibus, adhuc non eximuntur a solutione Decimarum, ut plena Camera declaravit in Maceraten, 1. Julii 1697, et Congregatio Boni Regiminis in Veliterna, 27 Junii 1699. (59. Quinimodo Regulares, et etiam Collegia Societatis Jesu tenentur solvere Decimas prædiales juxta loci consuetudinem, etiamsi in præteritum non solverint, ut respondit Sac. Congre. Conc. in Firmana Decimarum 13. Junii 1697, et in Senogal. 30. Aug. 1704.

(60. Ad Decimas solvendas non tenentur Regulares non possidentes stabilia, et qui de elemosynis vivunt, ut item Sacra Congregatio sub die 17. Octobris 1625, in specie pro Observantibus disposuit. Unde non comprehendunt prædicti Fratres Minores de Observantia in Bulla indictionis sex Decimarum super fructibus omnium Ecclesiasticorum Beneficiorum, et pensionum in universa Italia et Insulis adjacentibus ejusdem Alexandri Papæ septimi, prout declaratur in sequenti Epistola Subcollectoribus missa.

« Molto Rever. Signori.

(61. « Li Padri Minori Osservanti di S. Francesco, i quali sono Mendicanti, e non possono possedere, per disposizione del proprio Istituto, rendita alcuna d' elemosine, che loro vengono fatte, non sono tenuti al pagamento delle Decime. Per tanto le Signorie vostre dovranno per tal conto non molestarli; ed il Signor le felicità.

« Di Roma li 20. Maggio 1662.

« Delle Signorie VV. Affezionatiss.

« N. Arcivescovo di Damiana Tes. Gener. »

Loco ✕ sigilli.

« Francesco Miloni Secret. Succollettori delle Decime. »

(62. Sic etiam Theatini sunt exempti a solutione Decimarum Apostolicarum; Sac. Congre. Immunitatis 11 Jan. 1695, lib. 1, decret. Valheman., pag. 168.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(63. In locis, in quibus Parochiæ sunt divisæ, juris assistentiam pro Decimis habet utique Parochus, non item Episcopus, ut monet Auctor. (64. Sed notandum est quod, si Episcopus pro Decimis agat adversus Possessores bonorum, datum non est iis declinare solutionem Decimarum hoc sub obtentu, quod juris assistentiam pro Decimæ non

Episcopus sed Parochus habeat; (65. maxime si Parochus Episcopo adhæreat; Rota in S. Severinæ Decimarum 12 Jan. 1748, § 4, et in Confirmatoria 14, Jun. ejusd. anni 1748, § 6, cor. R. P. D. Bussio Decan.

ARTICULUS III.

*Decimæ ex quibus rebus, quo modo, tempore, et loco sint solvendæ.*

(1. De jure communi solvendæ sunt Decimæ prædiales de omnibus fructibus, seu proventus bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium, licite acquiritorum. Et decimæ personales solvendæ sunt de omnibus lucris, et proventus per actionem, et industriam hominum licite acquisitis. Est communis; et de Decimis prædialibus habetur clare ex cap. *Nuncios 6, de Decimis*, ibi: « Et de omni fructu Decimas persolvere; » c. *Ex parte 21*, eod. tit. ibi: « Et de omnibus bonis Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; » c. *Ex transmissa 23*, eod. t. ibi: « Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur; » *Tua nobis 26*, eod. tit. ibi: « Cum de cunctis omnino proventus Decimæ sint reddendæ. » Et de Decimis personalibus habetur ex cap. *Ad Apostolicam 20, de Decimis*, ibi: « Æquum est, ut illi Eccl. Decimæ personales reddantur, » etc.; c. *Non est 22*, eod. tit. ibi: « De negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione. Decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; » et cap. *Decimæ 66*, caus. 16, quæst. 1, ibi: « De militia, de negotio, de artificio redde decimas. » (2. Unde in specie Decimas solvunt 1 Frumentum, et triticum, 2 Palea, 3 Fœnum, 4 Pasqua, 5 Vinum, 6 Fabæ et alia legumina, et Nuces, 7 Amigdalæ, et Castanæ, 8 Olivæ, 9 Folia mororum, 10 Saccharum, 11 Pisces, 12 Apes, seu fructus earum, 13 Lac, Lana, et fœtus animalium cum nutriti sunt, 14 Venatio, et Aucupium, 15 Ligna, 16 Linum, et Canapæ, et his similia, 17 Negotium et artificium, 18 Stipendia militum, 19 Advocatio, procuratio, merces et salarium, 20 Furna, 21 Lapidicina, 22 Fodinæ, 23 Molendinæ, et his similia, ut colligitur ex citatis juribus, cum concordantiis, et enumerantur communiter a Doctoribus, et signanter a Barb. de offic. et potest. Episc. p. 3, c. 28, § 1, n. 2, cum sequentibus, et Rota rec. par. 5, t. 2, dec. 591. n. 12, p. 7, dec. 180, num. 12, p. 9, t. 1, decis. 64, num. 9, et 10, part. 15, dec. 43, n. 8, et 9, dec. 99, num. 10, et sæpe alibi.

(3. Decimæ prædiales solvendæ sunt nedum de omnibus licite acquisitis, sed etiam de illicite acquisitis; D. Thomas 2, 2, q. 87, art. 2, ad 2, Glossa in cit. cap. *Ex transmissa 23, de Decimis*, verb. *Licite*, ad finem, Abbas, et Innocent. ibid. Pirhing lib. 3, decret. tit. 30, n. 18. Reiffenstuel ibid. num. 26, et alii communiter; arg. cap. de terris 16. *de Decimis*. Et ratio est, quia Decimæ prædiales sunt onus reale ipsi terræ, ac cæteris rebus inhærens, transiensque ad quemvis possessorem, sive bonæ, sive malæ fidei, alioquin prædo vel injustus invasor esset melioris

conditionis, quam bonæ fidei possessor, quoad nullimode est dicendum, cum et ipse Dominus, si prædium possideret, Decimas solvere teneretur; ex quo Decimæ prædiales non debeantur ex actione, sive justa, sive injusta possessoris, sed ex prædiorum, aliarumque rerum possessorum fructibus, qui ex dono Dei proveniunt; cap. *Tua nobis 26, de Decimis*. (4. Loquendo autem de Decimis personalibus, ubi illæ adhuc sunt in usu, cum distinctione est procedendum; aut enim est sermo de Decimis ex lucris non solum licite acquisitis, sed et illicite retentis, ita ut restitutioni adhuc obnoxia sint, qualia sunt quæ acquiruntur ex furto, rapina, usura, simonia, injusto bello, fraude, injusto contractu, etc.; an vero de Decimis ex lucris solummodo illicite acquisitis, et licite retentis, qualia sunt acquisita ex meretricio, ex adulterio, ex convento homicidio, et hujusmodi, de quibus cum possessor verb. gr. Meretrix, Mulier adultera, conductus pecunia ad hominem occidendum, acquirat dominium, non tenetur ad restitutionem. (5. Si de primis, scilicet illicite acquisitis et illicite retentis, sit sermo, Decimæ nec dari debent, nec accipi possunt; S. Thomas l. c. Glossa in cit. cap. *Ex transmissa* verb. *Licite, de Decimis*, Abbas ibid. n. 3. Azorius part. 1, lib. 7, cap. 24, q. 13. Suarez lib. 1, c. 32, n. 6, et 7. Pirhing lib. 3, decret. n. 9. Reiffenstuel ib. n. 27, et Innocent. loc. cit. arg. cap. *Non est putanda 27*, caus. 1, qu. 1. Et ratio est, quia cum possessor non acquirat dominium talium rerum, sed eas restituere teneatur, res sic acquisitæ non computantur in bonis ejusdem, sed censentur bona aliena; l. *Non potuit 11, ff. de Jure Fisci*. Nulli autem licitum est aliena cuiquam concedere præter Domini voluntatem, textu expresso in cap. *Tua nobis 26, de Decimis*, ibi: « Cum nulli sit licitum aliena cuique concedere præter domini voluntatem. » (6. Si de secundis, scilicet illicite acquisitis, licite retentis sit sermo, Decimæ dari debent, et accipi possunt. Ita Glossa, et Doctores omnes locis supracitatis. Et ratio est, quia licet tales acquirentes, verb. gr. meretrix accipiendæ pecuniam pro meretricio, adultera pro adulterio, conductus ad occidendum hominem, pro homicidio, turpiter faciant in acquirendo, non tamen turpiter retinere dicuntur; l. 4, § *Sed quod meretrici, ff. de condict. ob turpem causam*. Unde si taliter acquisita licite retinere possunt, licite etiam possunt eadem erogare, et consequenter Decimas de iis solvere tenentur, cum delictum non præstet immunitatem; l. *Relegatorum*, § final. *ff. de interdict. et relegal.* (7. Quamvis autem de sic illicite acquisitis possint ministri Ecclesiæ Decimas repetere, non expedit tamen ut illas repetant, donec sic turpiter acquirentes non se emandaverint, ne videantur talia turpia facta approbare, et eorum sceleribus communicare, ut ait S. Thomas l. c. art. 2. Glossa cum aliis Doctoribus locis citatis. Unde ab Ecclesia oblationes aliorum respuunt ratione criminis; Deuteronomii c. 23, ibi: *Non offeres mercedem prostibuli*; cap. *Oblationes 2*, dist. 90. c. *Non est*